Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Eunuchus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

At quid ſi dicat (Hic) eſt corpus meum?

corpore, & ſignificat etiam oſſa, nervos, & totum hominem. *Omnis caro corruperat viam ſuam. Videbit omnis caro ſalutare Dei Verbum caro factum eſt. Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit.* Utraque ſententia eſt probabilis, ſecunda probabilior *par.5.tr.14.reſ.76.*

16. Petes ſecundò: An hæc forma ſit valida, *Hic eſt corpus meum?* Reſpondeo cum Granado *ubi ſupra num. 4.* quod ſi ly *hic* ſit adverbium locale, forma non eſt valida, quia mutatur ſignificatio: ſi autem eſt pronomen maſculinum, forma eſt valida, quia mutatio eſt accidentalis, & grammaticalis. *par.5.tract.14.reſ.77.*

Vel (Hoc corpus eſt meum?)

Aut (meum eſt hoc corpus?)

17. Petes tertio: Quid dicendum de hac forma, *Hoc corpus eſt meum*, vel *Meum eſt hoc corpus?* Fagundez *par. 3. lib. 2. cap.6. num.11.* & Gamachæus *in 3. par. quæſt.78.cap.2.* dicunt non eſſe validam: quia pronomen *meum* utrobique ſumeretur poſſeſſivè, ſumeretur enim adjectiuè non ſubſtantivè, & ſenſus eſſet, *Hoc corpus ad me pertinet*: Unde non exprimeret myſterium converſionis. *part.5.tr.14.reſol.78.*

EUCHARISTIÆ
Miniſter.

Euchariſtiæ miniſter aut cõſecrat, aut communicat. Si conſecrat, debet omnino eſſe ſacerdos. Et debet adhibere intentionem. Quid ſi cogitur conſecrare maſſam panis.

16. † SIcut in hoc Sacramento duo sũt, ſcilicet conſecratio, & uſus: ita duo ſunt miniſtri, unius conſecrationis, alter collationis. De hoc ſecundo dictum eſt Ver. *Communionis Miniſter.* De miniſtro conſecrationis quo ſolum dicenda ſunt. Primum, quod debet eſſe Sacerdos in omni caſu, unde nullus carens charactere ſacerdotali conſecrare poteſt. Secundum quod ad conſecrandum adhibere debet intentionem. † Sed hanc ſuſpendere poſſe, ait Sancius *ſelect. diſp. 35. num. 6.* in caſu, quo quis metum mortis injiceret, niſi totum panem, qui eſt in foro, conſecraret. Scilicet ad vitandam mortem, & ſacrilegium, proferre poſſe verba abſque intentione. Sed contra ſentit Palaus *to.1 tract 2. diſp. 1. punct. 13. num.8. part.3 tr.6. reſ.83. §. Notandum.*

EUCHARISTIÆ
Cuſtodia.

An particulæ conſecratæ ſtatim poni poſſint in Tabernaculo? Aut dari alteri diſtribuendæ. Pyxis non debet eſſe benedicta. Et deferri poteſt cum Sanctiſſimo, in navigiis bene aptatis.

1. EUCHARISTIA à conſecratione uſque ad Communionem ſtare debet ſuper aram. Unde ait Lugo *de Euchariſt. diſput. 10. ſect. 2. numer. 69.* non poſſe Sacerdotem particulas conſecratas ſtatim ponere in Tabernaculo vel extra aram, aut dare alteri Sacerdoti, ut populo diſtribuat: nam hæ quoque pertinent, ſicut hoſtia, ad idem ſacrificium; & Rubrica Miſſalis ita præcipitur ſervari, *par.5.tract 13.reſolut.72.* Pyxis non debet eſſe neceſſariò benedicta, nec oportet in ea eſſe corporale, vel aliud. Vide Verbo *Vaſa ſacra, num. 3.* Licet Sacram Euchariſtiam deferre in navigiis, ſi adſit capacitas, & illi locus decedens, & ſeparatus deſignetur. Ita Granado *tractat.14. diſputat.13 num.7. V. Celebrare, num.28 part.5.tract.3.reſol.40 §. Nota etiam.*

Fragmentũ inventum in Patena poteſt ſumi poſt Miſſam.

2. Si Sacerdos poſt purificationem, vel finita Miſſa invenerit aliquod fragmentum in Patena per ſe, vel per alium conſecratum poteſt illud ſumere Paludan. *par.9.tr.6.reſ.27.*

EUNUCHUS.

AN poſſit ſponte Caſtratus diſpenſari ad ſacros Ordines; vide verbum *Epiſcopus.*

EXAMINARE.

Debet examinari à ſynodalibus examinatoribus.

1. PRæſentatus à patrono laico in Eccleſiam parochialem, debet examinari ab examinatoribus ſynodalibus; ſed ſi eſſet partim Eccleſiæ, & partim laici debet fieri conſenſus, ſed vide res ubi curioſa invenies. *par. 9. tract. 8. reſol.16.*

Poteſt examinare regulares prædicatores.

2. Epiſcopus, ſi vult examinare prædicatores Regulares prædicare volentes in alienis Eccleſiis:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN